



Jesu juva!
 MICHAELIS ETTMULLERI
P H Y S I O L O G I A
 C A P U T I.

De Principio Corporis Animalis Vitali.

(Multa huc pertinentia possunt peti ex variis Autt. videantur

HELMONT,

BOTLE Chymist. Scepticus.

TACHENII Hippocrat. Chymic. ejusque Clavis.

BORELLI Observat.

CHARLETONIS Oeconom. animal.

STLVII Dissert. Medic.

DEUSING de Nutritionis in Corp. elaborat.

BLASIUS.

HARVEIUS vel RALLA de Generatione animalium.

WALÆI methodus Medendi : vel

J. D. HORSTII Manuductio ad Medicinam.)

Thesis 1.



*C*orpus naturale in se quidem consideratum est MACHINA quædam naturalis eleganter ad varias actiones fabricata, in hoc differens à machinis artificialibus, quod hæ externum

habeant motorem, à quo partim exstruantur, partim etiam moveantur. Cum illud à principio interno dependeat, à quo non fabricatur tantum; sed etiam fabricata ad varias actiones motus & operationes, pro organorum diversitate determinatur. Quas operationes & motus quantumdiu perficit VIVERE dicitur. Simul verò atque eadem cessant, MORTUUM vocatur; quod si perversè & vitiose fiant sive motoris interni, sive organorum vitio, Corpora ÆGROTANT.

Thesis 2.

Principium hoc INTERNUM VITALE, quid & quale sit, difficillima est disquisitio, vulgò ANIMA nominatur, eaque pro viventium triplici genere, vel VEGETATIVA in Plantis vel SENSITIVA in Brutis, vel RATIONALIS in Homine vocatur. Huic animæ ceu substantiæ simplici varias adjungunt facultates operatrices, v. gr. NUTRITIVAM, πλασικὴν seu FORMATIVAM, LOCOMOTIVAM &c. quarum ope operationes Spiritibus median-
 tibuscipiat.

Thesis 3.

Doctrina hæc hæc hactenus in Scholis medicis & Physicis recepta, aded ingentes patitur difficultates, quoad essentiam, divisibilitatem, habitudinem ad Corpus &c. hujus animæ, ut nemo adhuc iisdem se extricare potuerit, imprimis cum per Scholasticorum inania facultatum figmenta, ac nomina qualitatum nil significantia, obscuris & cæcis ratiociniis, non consultis apertis naturæ experimentis insistentium, multò magis implicata & quamplurimis non entibus repleta fuerit, ut occultæ qualitates Philosophorum & facultates animæ Medicorum pari passu in causarum naturalium disquisitione ambulent, & tutissima ignorantia Asylæ existant.

Thesis 4.

Oh id acutus CARTESIUS, eumque sequentes potissimum MATHEMATICI omnem omninò formam substantialem, omnemque per consequens animam, solâ animâ rationali exceptâ rejecerunt, & per principia Mathematico-mechanica in seipsis infallibilia, materiæ applicata, id est, per particularum minutarum omnia corpora componentium diversas figuras, magnitudines, compositiones, situs, texturas & motus &c. naturalium corporum & sic etiam animalium viventium operationes & affectiones dilucidare, & à priori demonstrare aggressi sunt, quas antiqua Peripatetico-Galenica Schola per nuda nomina forma-
 rum

[A]

rum